DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HYDROTHORACE

4

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

HYDROTHORACE.

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, S. S. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et Nobilissimae FACULTATIS MEDICAE decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JOANNES JOHNSTON,

HIBERNUS;

S. H. M. E. S. E.

Si quibus intumuit suffusa pectus ab unda,
Quo plus sunt potae, plus sitiuntur aquae. OVID.

Phoebe, fave, novus ingreditur tua templa sacerdos. TIBUL.

Ad diem 12 Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

CUM PRIVILEGIO.

J. ET E. BALFOUR.

Patri ſuo dilectiſſimo,

GEORGIO JOHNSTON, Armigero,

De Fort Johnston Lodge,

Quo nullus parens unquam amantior fuit, quique ſummam, et in ſe hiſce artibus, quae vel utilitati verae inſerviunt, vel ad vitam exornandam conferunt, erudiendo, et in pectore recto cultu roborando, operam indefeſſus poſuit, nulli curae, nulli impenſae parcens;

Hanc Diſſertationem Medicam Inauguralem,

Ut parvulum animi, tantae pietatis conſtanter memoris, ſemperque grati futuri monumentum,

Ea, qua filius, maximis beneficiis affectus, debeat, obſervantia:

NEC NON;

Juveni Praeſtantiſſimo,

CLARE S. FORSTER, Armigero,

Quo, ſi comitas morum, doctrina varia, virtutes numeroſae animique magnitudo reſpiciantur, nihil magis ſpectabile et venerandum,

Ob amicitiam, quae ſibi cum eo, per aliquot annos, interceſſerit, intemeratam;

D. D. C. q. Auctor.

Nulla re propius Divinam Naturam
Accedimus, quam ſalutem
Hominibus dando. CICERO.

Non eſt in Medico ſemper relevetur ut aeger;
Interdum docta plus valet arte malum. OVID.

Quis talia fando ——
—— temperet a lachrymis? VIRGIL.

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

HYDROTHORACE.

J. JOHNSTON AUCTORE.

EA eſt mortalium fragilitas, totque morbi violenti, ſingulis fere momentis, in eos invadere periclitantur, ut vita humana, in ſpatium quadraginta annorum, aut amplius, protracta pro miraculo in primis inſigni poſſit haberi. Ex omnibus vero morbis, qui hominibus inſidias conſtanter ſtruunt, nullus plus timoris iis incutere debet, quam Hydrops, qui, cum ſemel acceſſit, hoſtis plerumque

tam formidolofus effe reperitur, ut pauciffimae, proh dolor! de eo victoriae fuerint reportatae. Alia autem nomina hoc malum fibi adeptum eft, prout aliae ejus fpecies partes corporis diverfas infeftarunt. Cum in telam cellulofam, cuti proxime fubjacentem, invadit, *Anafarca*; cum in caput, *Hydrocephalus*; cum in abdomen, *Afcites*; cum in cavum thoracis, *Hydrothorax*, ab auctoribus appellari confuevit. De fpecie proxime comprehenfa, in differtatione fubfequente, potiffimum prout, humore in utrumque thoracis cavum effufo, fefe oftendit, differere decrevi [a].

DEFINITIO MORBI.

" Dyfpnoea; faciei pallor, pedum oedemata; urina parca; decubitus difficilis; fubita et fpontanea ex fomno, cum palpitatione, excitatio; aqua in pectore fluctuans [b]."

HIS-

[a] Vide Cullen's Firft Lines.

[b] Vide Nofologiam Methodicam.

HISTORIA.

Hic morbus hominibus omnis aetatis, quibus caufae remotae fuerunt applicatae, communis eft. Caeterum eos, qui aetate provectiores funt, qui multum detrimenti a morbis antecedentibus ceperunt, quibufque natura habitum corporis debilem laxumque dedit, potiffimum corripere folet. Qui hunc in morbum incidit, is primum conqueritur fenfum ponderis circa partem fterni inferiorem; tenfionem circa fcrobiculum cordis; fpiritum difficilem, praefertim in pofitura horizontali; tuffim frequentem, fub initium ficcam, fed poftea muco expectorato ftipatam. Urina quantitate diminuitur, et colorem folito vel naturali rubriorem fibi adipifcitur, et pedes, praefertim vefpere appetente, tumere incipiunt. Morbus gradatim increfcit, et fignis fupra comprehenfis accedunt faciei pallor, et fitis non modica. Ictus arteriarum plerumque debiles et abnormes funt, et intermittunt. Cutis, praeter

consuetudinem, sicca est, et, in hac omnique alia hydropis specie, eo sensilitatis gradu, quem naturaliter habet, privari videtur. Quinetiam se ostendunt subsultus, vel excitationes e somno frequentes, subitae, spontaneae, palpitationibus cordis, anxietate sensuque suffocationis stipatae. Hi subsultus vel paroxysmi posituram erectam omnino necessariam efficiunt. Frequenter, per noctis decursum, accedunt, et saepe tam violenti sunt, ut somnus obrepere nequeat; sed gradatim, prout mane appropinquat, leviores evadunt [c].

Si, una cum hisce signis, aqua, in pectore fluctuans, percipi potest, morbum adesse pro certo concludere licet. Si tumor scroti, cujus mentionem injiciunt auctores [d], incidit, is, me judice, potius, pro

[c] "Quibus hoc unicum addere licet, tanquam pathognomonicum, et quo solo hydrops pectoris a caeteris difficultatis respirandi speciebus distinguitur, quando nimirum spirandi difficultas primo quoque somni tempore invadit, eumque interrumpit, ac, per noctem, magis urget; procedente vero die sensim lentescit."

River. Prax. Med.

[d] Hoffmanni Opera.

pro diathefeos hydropicae indice, quam pro figno Hydrothoraci proprio, habendus eft.

Hoc modo, morbus ad finem fuum ufque gradatim progreditur, et, actione pulmonum per ferum effufum collectumque impedita, notae fuffocationis accedunt, et mors tandem, ultima rerum humanarum linea, tragediae finem facit.

CAUSA PROXIMA.

Haec in accumulatione aquae in thorace adaucta confiftit, quae ab exhalatione, praeter confuetudinem magna, vel ab abforptione partium fanguinis ferofarum diminuta, vel a ruptura ductus thoracici vaforumve lymphaticorum proficifcitur.

CAUSAE REMOTAE.

Hae autem feminium noxafque, vel caufas excitantes, comprehendunt.

Seminium in omnibus, quae debilitatem fibrarum, earundemvè laxitatem, faciunt, plane consistit. Conditio vero corporea hoc genus a fontibus diversis et numerosis profluere potest, ut ab aetate provectiore, mensibus non justo tempore et quantitate provenientibus, diaeta nimis parca et aquosa, vita sedentaria, coitu immodico, morbis praecedentibus; nimia fatigatione, praesertim ea, quae ab itineribus longioribus oritur; regione humidiore; affectibus animum contristantibus, ut metu, moestitia similibusque; usu liquorum spirituosorum, praesertim non satis dilutorum, nimis liberali. Omnes autem hae causae, conditionem corporis supra comprehensam faciendo, agere videntur; quae mortales ad hunc morbum, circuitum sanguinis praeter naturam languidum, quem nimia vasorum exhalantium laxitas constanter fere comitatur, reddendo, proclives efficit.

Noxae causaeve excitantes vero nostram attentionem proxime requirunt.

Superficies internae omnium cavorum interſtitiorumque corporis humani, dum vita ſupereſt, humore ſeroſo vel aquoſo, ex oſtiis arteriarum numeroſarum, quae huic conſilio, mirum in modum, accommodantur, et exhalantes denominantur, ſub forma vaporis conſtanter effuſo, nunquam non humectantur. Hunc, contra, ex aequo conſtanter abſorbent oſtia vaſorum, quae abſorbentia valvuloſa lymphatica appellantur. Dum aequilibrium quantitatem liquoris effuſam inter et abſorptam juſtum intercedit, nullus hydrops poteſt oriri. Cum vero hoc, multis de cauſis, tolli amittive queat, corpus multis mutationibus morbidis opportunum evadere poſſe evidens et manifeſtum eſt. Affectus autem morbidus, qui functionibus exhalationis et abſorptionis naturalibus inimiciſſimus eſt, invadit, cum vel vaſa exhalantia ipſa quantitatem ſeri majorem profundunt, quam vaſa lymphatica, dato tempore, abſorbere poſſunt; vel vaſa lymphatica ſola, ob vitium quo afficiuntur, quantitatem humoris juſtam et naturalem, ab exhalantibus effuſam, nequeunt reci-

pere.

pere. Quantitas igitur humoris ſeroſi, praeter conſuetudinem magna, hoc modo, ut e ſupra dictis evidentiſſime patet, vel in omnibus corporis cavis diverſis, vel in quolibet ſingulari, ut in morbo, quem exequimur, colligi periclitatur.

Quae ſupra poſuimus, ea clariſſime demonſtrant, cauſas, quae hydrothoracem movent, eſſe duplices, et in ſubſequentes aptiſſime dividi.

I. Eas, quae exhalationem adaugent.

II. Eas, quae abſorptionem diminuunt.

I. Exhalationem adauctam facere poſſunt omnia, quae reditui ſanguinis, per venas ampliores, libero obſiſtunt.

1. Hoc praeſtare ſolent, pulmonum, cordis aliarumque partium obſtructiones; venae ſingulares polypis ſimilibuſque compreſſae; ſyſtematis venoſi plenitudo nimia, a menſtruis, haemorrhoide aliiſ-

que

que ſanguinis profuſionibus, quae inveteraverint, ſuppreſſis ortum deducens. Namque ſanguis, in omnibus hiſce exemplis, non facile libereque ex arteriis in venas tranſiens, in illis, praeter conſuetudinem, accumulatur; quod in cauſa eſt, cur vaſa exhalantia, nimis diſtenſa, debilitentur, et igitur majorem ſeri quantitatem effundi patiantur, quam a vaſis lymphaticis poteſt abſorberi.

2. Exhalatio adaucta facilius fiet, ſi quantitas partium aquoſarum, ſolita major, in maſſa ſanguinis adſit. Hoc facere poſſunt cauſae diverſae. Sanguinem in conditionem hujuſcemodi haud dubie adduxerunt largiores aquae frigidiſſimae quantitates epotae. Rationem hujus, modo ſequente, reddit Cullenus illuſtris. Verba ejus ſubſequuntur:—

" This ſeems to have happened, either from " the excretories not being fitted to throw out the " fluid ſo faſt, as it had been taken in; or from " the excretories having been obſtructed by acci-

"dentally concurring caufes. Accordingly it is "faid, that the fudden taking in of a large quan- "tity of very cold water has produced dropfy, "probably from the cold producing a conftriction "of the excretories."

Caufis, partes fanguinis aquofas augentibus, poteft accenferi frigus, quod, fuperficiem corporis fpafmodice conftringendo, ut partes ferofae, quae modo communi folitoque excerni debent, in eo retineantur facit.

Detractiones fanguinis largae nimifque faepe reiteratae eundem quoque effectum edunt. Namque globuli rubri et lympha coagulabilis, una cum fero, emittuntur. Serum vero multo citius reftituitur, quam vel globuli rubri, vel gluten; et igitur, reliquis partibus abundantius evadit. Igitur, fanguine hoc modo tenuiore reddito, exhalantia quantitatem feri folito majorem effundent.

Quinetiam concoctio alimenti imperfecta, vel vitiata,

tiata, hunc ſanguinis ſtatum progenerare poteſt; namque partes aquoſas, globulos rubros quantitate longe excedentes, maſſae humorum circumeunti ſufficiet.

3. Ruptura ductus thoracici, vaſorumve lymphaticorum ſingularium, hydropem pectoris excitavit. Exempla hujuſmodi nonnulla, in monumentis medicinae, reperiunda ſunt [e]; ſed rarius, me judice, ſemet oſtendunt.

II. Proximum eſt, ut cauſas, quae abſorptionem diminuant, conſideremus.

Quae cauſae auctum exhalationis faciunt, eae quoque ad abſorptionem diminuendam non parum conferre videntur. Namque, oſtiis vaſorum exhalantium per eas poteſtates, quae in ſyſtema totum agunt, infirmatis, abſorbentia, ad minimum, ex aequo debilitentur neceſſe eſt. Igitur non uſitatam

 humoris

e Vide, quae vir celebris Dr D. Monro e Baſſii Obſervationibus excerpſit.

humoris quantitatem abſorbere valebunt, nedum univerſam, quae, rebus ita ſe habentibus, laxitate exhalantium magnopere augetur.

Alia cauſa, quae abſorptionem diminuere fuit poſita, eſt obſtructio ſyſtematis lymphatici, vel vaſorum ipſorum, vel glandularum, per quas illa tranſeunt. Hoc vero admodum dubitabile eſt, et de eo, apud auctores, minime convenit. Namque anaſtomoſes, quas rami lymphaticorum inter ſeſe faciunt, creberrimae admodum improbabile reddunt, abſorptionem, ob paucula eorum oppilata, magna ex parte interpellatum iri; praeſertim cum lymphatica curſum per glandulas non ſemper tenere conſueverint. Inſuper glandulae conglobatae, licet non modice intumuerint, iter lymphae facile concedunt.

DIAGNOSIS.

Morbus per ſigna, quae eum comitantur, qualia ſunt urina parca, anxietas, et ſubita e ſomno

excitatio,

excitatio, ab empyemate, morbo unico, quocum confundi periclitatur, facile poteſt ſecerni. Inſuper empyema inflammationem excipit, et febre hectica ſemper ſtipatur; quarum illa raro aut nunquam Hydrothoracem praecedit, et haec ei, ſi in ullis, pauciſſimis ſaltem in exemplis, conjungitur.

NONNULLORUM E SIGNIS EXPLICATIO.

1. Quantum ad dyſpnoeam attinet, ea ab humore ſeroſo, in cavum unum vel utrumque thoracis, per exhalationem nimis adauctam, effuſo, et veſiculas aeriferas adeo coanguſtante, ut juſta aeris externi quantitas in eas nequeat deſcendere, plane proficiſcitur. Namque reſpiratio facilis et libera nunquam eſſe poteſt, niſi pulmones ſatis plene fuerint diſtenſi.

2. Quod faciei pallorem ſpectat, hic a duabus cauſis conjunctis pendere videtur, quod tanta humoris ſeroſi et aquoſi redundantia, hoc in morbo, ſanguini ineſt, ut globulos rubros, pro rata ratione

ne, longe excedat, et hos colorem ſolitum rubrum faciei omnibuſque aliis partibus externis impertiri prohibeat; et quod curſus humorum, praeter conſuetudinem magnus, ad partes thoracis internas fit, unde partes corporis externae portione humorum, ſibi debita et naturali, orbantur, quod, ut palleſcant, non facere non poteſt.

3. Pedum oedema.—Tanta corporis debilitas et relaxatio in omnibus, qui hoc morbo laborant, ſubſunt, ut minime mirum ſit, quantitatem humoris ſeroſi inuſitatam e vaſis exhalantibus, pro rata ratione quoque relaxatis et infirmatis, in artubus inferioribus, unde ſanguis, contra gravitatem ſuam, aſcendat neceſſe eſt, elabi, et nonnihil anaſarcae conſtituere.

4. Urina Parca.—Quandocunque magnus humorum curſus ad certas partes, ut in hoc morbo, fit, omnes ſecretiones et excretiones reliquae, pro magnitudine illius, diminuantur oportet. Secretio igitur urinae diminuta, in omni hydropis ſpecie,

nullius

nullius alius explicationis, praeterquam hujus, poteſt indigere.

5. Decubitus Difficilis.—In poſitura corporis erecta, qui humor cavo thoracis continetur, is partes hujus inferiores petet, et partes pulmonum ſuperiores, a compreſſione aliqua ex parte vacuas, relinquet, et igitur reſpiratio tam libera erit, quam eſſe poteſt, hydrothorace ſubſtante. Si vero in latus alterutrum decumbitur, ſaltem dum humor ſeroſus in utrumque thoracis cavum effuſus eſt, pulmones univerſi, magis minuſve, pro quantitate humoris collecti, comprimentur, idque ex aequo; adeo ut ſumma ſpiritus trahendi difficultas, et ſummus moleſtiae ſenſus non oriri non poſſit, unde decubitus perquam difficilis efficietur.

6. Subita et ſpontanea e ſomno, cum palpitatione, excitatio.—Non mirum eſt, compreſſionem iſtiuſmodi, qualem modo poſuerimus, aegrotantem e ſomno repente excitare, cum ingreſſui aeris libero in pulmones tantopere, tamque evidenter obſiſtat.

obſiſtat. Inſuper vero reminiſcendum eſt, hydropem pericardii, idiopathicum aut ſymptomaticum, Hydrothoraci plerumque adjungi. Si aegrotus autem, rebus ita ſe habentibus, in ſomnum, per quem, uti omnes norunt, actio cordis debilitatur, et igitur pondus aquae, ei ſuperincumbentis, tolerare minus valet, illabatur, nonne in primis evidens et manifeſtum eſt, oppreſſionem cordis eum e ſomno repente excitaturam eſſe, et cor ipſum, hoc modo affectum, palpitaturum eſſe, vel ſemet ſolito frequentius contracturum, ut ſeſe mole humoris degravante liberet?

Quod ad aquam, in pectore fluctuantem, attinet, hoc phoenomenon intellectu adeo facile eſt, ut nullius omnino explicationis indigeat.

PROGNOSIS.

Eventus hujuſce morbi plerumque quidem infauſtus eſt. De exitu ejus vero quidnam judicari debeat.

beat, monſtrabunt cauſae morbi et ſigna; ſpatium, per quod manſerit; aetas aegrotantis et conſtitutio corporea. Haec ſpecies hydropis multo magis timenda eſt, quam quaelibet alia, quod reſpiratio, una e functionibus oeconomiae animalis totius, ſummi momenti, afficitur, quod per ſe etiam non raro morbum excitat. Si vero ſigna non graviter urgeant, ſi non multum aetatis aegroto acceſſerit, ſi morbus non diu infeſtaverit; ſi vires corpori, per intemperantiam vel morbos antecedentes, non multum convulſae ſint; ſi ab obſtructionibus viſcerum non ortum deduxerit; et ſi effuſio non, ex toto, cavo thoracis circumſcripta ſit, ſpes ſalutis, ſed non certae et indubitabiles, affulgent. Contra, cum aeger ad ſenium vergit, cum vires corporeae ei infractae ſunt, cum morbus inveteravit; cum ab obſtructionibus viſcerum, vel vaſorum ſingularium, ut, inter cauſas excitantes enumerandas, fuit poſitum, plane evidenterque pendet, de ſalute aegroti ſpes nulla omnino fovenda.

RATIO MEDENDI.

Consilia autem huic morbo medendi sunt:

I. Causas remotas tollere.

II. Humorem accumulatum evacuare.

III. Tonum Systemati reddere.

I. Cum causae autem hujusce morbi admodum variae sint, auxilis aeque diversis tollantur oportet. Si vero animum ad multas causarum, quae hunc morbum faciunt, considerandas adjungamus, non nobis dolori non esse potest, consilia sagacissima et medicamenta potentissima ad nonnullas earum depellendas parum posse conferre. Hujusmodi sunt polypus cordis, valvulae ejusdem in substantiam osseam conversae, vel ductus thoracici ruptura. Si morbus a viscerum obstructionibus pendeat,

pendeat, eas diverſis remediis, quae auctores huic conſilio accommodari memoriae prodiderunt, removere conari conveniet. Horum praecipua ſunt, Mercurius, Chryſtalli Tartari, et Cicuta. Mercurius, quod huic conſilio favet, et, eodem tempore, abſorptionem humoris effuſi promovendo prodeſt, in primis utilis eſſe videtur.

Si morbus a debilitate aliiſve certis morbis proficiſcatur, ratione debilitati occurrendi uſitata, et cauſas, quae eam progenerant, fugiendo; et auxiliis ſingularibus, curationi talium morborum accommodatis, eſt depellendus.

II. Humorem accumulatum evacuare.

Hoc duabus viis praeſtari poteſt:

1. Excretiones certas ſeroſas excitando, quo humor effuſus abſorbeatur, et per diverſa organa excernentia evacuetur.

2. Hu-

2. Humorem, per exitus arte factos, evacuando.

1. Excretiones autem ferofas excitant Emetica, Diuretica, Cathartica, Diaphoretica, Sialagoga.

A. Emetica.—Haec faepe contra morbos hydropicos efficaciffima effe fuerunt reperta. Syftema univerfum concutiendo proficere videntur. Hoc enim, pro certo, actionem fyftematis lymphatici diminutam exfufcitet, et abforptionem promoveat oportet. Quod humoris hoc modo abforbetur, id per excernentia diverfa e corpore expellitur. Si aegrotus haec, fine periculo fuffocationis, ferre valeat, actio eorum, experientia tefte, plurimum auxilii promittit. Aliis valentiora antimonialia funt anteponenda, et frequenter reiteranda. Quinetiam, dofibus naufeam moventibus data, opem hoc morbo laborantibus non modicam attulerunt.

B. Diuretica. Renes, ut auctor fummae claritudinis, nempe Cullenus, notavit, exitum magnae parti humorum aquoforum, quos fanguis comprehendit,

prehendit, naturalem ſuppeditant. Actionem eorum movent medicamenta varia diuretica, ab iis, qui materiam medicam executi ſunt, commemorata.

Caeterum, operationem horum medicamentorum tam incertam eſſe, magnopere dolendum. Medicamenta hoc genus, cum humorem efficaciter evacuent, et ſyſtema non aeque, ac multa alia auxilia, quae in uſum revocari ſolent, debilitent, tertio huic morbo medendi conſilio non inimica ſunt; quamvis ea, quae id revera promovent, aliunde petenda. Quae diuretica efficaciſſima eſſe cenſentur, ea ſunt,—Digitalis, Scillae, Chryſtalli Tartari, Colchicum, Nicotiana, et Lactuca Viroſa.

a. Digitalis.—Haec in omnem hydropis ſpeciem, praeſertim in Hydrothoracem, non parum poſſe exiſtimatur. Ad eam non raro, nuper, in noſocomiis potiſſimum Londinenſibus, fuit conſugitum; et quidam medicorum, qui medicinam apud incolas metropolis Britannicae faciunt, laudibus non paucis illam ornarunt. Subſtantia dari poteſt. A doſibus parvulis incipiatur, quae grada-

tim ſunt augendae, prout aegrotus eas poteſt tolerare. Quantum uſum hujuce plantae ſpectat, ſumma cura agenda eſt, et ſumma prudentia adhibenda. Ad eam, in iis exemplis, in quibus magna debilitas apparet, nunquam debet decurri. Nonnunquam, licet minima quantitate ſumatur, effectus graviſſimos edit, quibus annumerari poſſunt affectus viſus ſingularis, vertigo, ictus arteriarum debiles, et conſtrictiones ventriculi ſpaſmodicae, quae frequenter morte finiuntur. Effectibus ejus diureticis auxiliari putantur diluentia, ſi, operatione ejus pergente, adhibentur.

b. Scillae.—E multis medicamentis, quorum mentionem injecerunt auctores, nulla exiſtimationem poteſtatis urinam movendi et augendi tam conſtanter conſervaverunt, quam ſcillae. Per ſe datae fuerunt aliquando, et quidem cum ſucceſſu proſpero; ſed potentius certiuſque agunt, mercurio adjunctae, et praeſertim, ut vir eruditiſſimus Dr Home teſtatur, ita adhibitae, ut nauſeam leviorem faciant.

c. Chry-

c. Chryſtalli Tartari.—Hi pro medicamento, quod in hydropes plurimum poteſt, ſive dotes eorum catharticas vel diureticas ſpectaveris, ſunt habendi. Doſibus minutioribus frequenterque reiteratis ſumpti, et quantitate humoris aquoſi idonea ſtipati, ad renes potiſſimum feruntur, et excretionem urinae adaugent. Magis liberaliter dati vim purgantem habent, abſorptionem ad magnum, in omni ſyſtematis parte, gradum promoventes.

d. Colchicum.—Hoc, prout exiſtimat vir celebris Dr Storke, locum inter medicamenta tribus diureticae eminentiorem ſibi meretur. Nonnunquam cum chryſtallis tartari fuit conjunctum, et, cum ſucceſſu proſpero, adhibitum. Caeterum, in morem reliquorum remediorum, quae ſub hac claſſe comprehenduntur, pro auxilio certo minimeque fallaci nequit haberi.

e. Nicotiana.—Quae vir clarus Dr Fowler, dum operam in hydrope curando poſuit, notavit, ea nicotianam effectus bonos edere abunde demon-

ſtrant.

ſtrant. Haec vero iiſdem, quibus digitalis, incommodis patet, et, ad inſtar hujus, raro, praeterquam ſub initium morbi, vel ubi alia remedia incaſſum fuerunt tentata, in uſum revocatur.

f. Lactuca Viroſa.—E periculis reiteratis, quae Dr. Collin, Viennenſis, fecerit, hoc medicamentum magnam vim diureticam habere, et omni hydropis ſtadio accommodari judicatur. Plurimi vero medicorum in ſententiam longe contrariam, ſuper eo, conceſſerunt, dotes diureticas, ſi re vera ullas poſſideat, perquam modicas ei ineſſe credentes.

Multa alia medicamenta, quae ad hanc claſſem pertinent, poſſent commemorari, qualia ſunt ſales alkalini, balſama, cantharides, millepedae, &c. Cum vero jam comprehenſis, quantum ad efficaciam attinet, cedere videantur, et ea depingere hanc diſſertationem, nimiam in longitudinem, produceret, omni eorum mentione abſiſtere decrevi.

Hodie,

Hodie, apud univerſos fere medicos, convenit, potum ingeſtum, quod olim alieniſſimum eſſe credebatur, ad curationem hydropis, nonnullis in exemplis, eſſe neceſſarium [f]; praeſertim ſi ſecretiones quantitatem potionis ſumptam excedere, vel etiam adaequare, videantur [g].

C. Cathartica.—Levationem magnam et ſubitaneam, ab uſu alvum purgantium, in malis hydropicis ſanandis, deductam fuiſſe omnis medicus candide lubenterque confitetur. Cum vires corpori magnopere convulſae ſunt, ad ea admodum

f "I have frequently made this compariſon, and found, "that a very entire abſtinence from drinking, by diminiſh-"ing the quantity of urine voided, allowed the ſecretories "of the kidneys to fall into a contracted ſtate; ſo that the "quantity of urine voided was ſtill further diminiſhed, and, "as I judged, tended to increaſe the effuſion, and thereby to "aggravate the diſeaſe."

Vide Cullen's *Mat. Medica.*

g "Si plus humoris excernitur, quam aſſumitur; ita de-"mum ſecundae valetudinis ſpes eſt."

Celſ. Lib. III.

caute confugiatur. Ad usum solummodo forsitan eorum decurrere debemus, cum alia remedia, tentata, parum profuerunt; quoniam ad systema debilitandum magnopere conferunt. Vir jure celeberrimus, Dr Mead, de usu purgantium valentiorum, in malis hujusmodi, differens, verba, quae subsequuntur, adhibet. "Et, ubi fractae vires, nocet vehemens per alvum purgatio, quo enim plus humoris e corpore ejicitur, eo major ipsius copia brevi in cavitates refluit."

Cathartica in duas classes, nempe, drastica et leniora, sunt divisa. Ad priorem pertinet gambogia, scammonium, elaterium, helleborum, jalappium, &c. Postremum, praesertim mercurio adjunctum, in omnibus vitiis hydropicis, magnopere proficere fuit repertum. Sub posteriore comprehenduntur sales medii, tamarindi, chrystalli tartari, &c.

D. Diaphoretica.—Cum historia causarumque hujusce morbi remotarum notitia, eum a perspira-

tione

tione ſuppreſſa, curſum materiae perſpirabilis cavum thoracis verſus faciente, pendere evidens et manifeſtum efficiant; remediis haud dubie diverſis, quae ſudorem movent, curari poteſt. CELSUS, elegantiarum Latinitatis medicae auctor celebris, eo uſque procedit, ut modum medendi ſubſequentem medicinam facientibus ſuadeat. "Evocandus eſt ſudor, non per exercitationem tantum, ſed etiam in arena calida, vel laconico, vel clibano, ſimilibuſque aliis; maxime enim ſunt utiles naturales, ut Baiae, ſudationes." Quae medicamenta in praeſenti uſu ſunt, ea ſunt diverſa ex antimonio praeparata, ut vinum antimoniale, tartarum emeticum, &c. Quinetiam ſudorem cient, idque efficaciſſime, ſeparatim data, vel ſub forma pulveris ipecacuanhae compoſiti conjuncta. Antimonium et opium quoque bonos effectus edunt, ſibi invicem admiſta.

Multa exempla in monumentis medicinae reperiunda ſunt, ut e ſcriptis viri celebris, Doctoris DONALDI MONRO, evidenter apparet, ubi mor-

bus, ufu fudorem moventium, fubito fuit depulfus. Subfequens, e RIVERIO excerptum, refert:

"A patient, affected with a hydrops pectoris
"and afcites, was cured, by fweating plentifully,
"in a ftove prepared with fpirit of wine, living
"on a fudorific diet of Guiac and Sarfaparilla,
"for twenty days, and taking a hydragogue
"purge every fourth day [h]."

Inter haec remedia adhibenda, fumma cura agenda eft, ut frigus caute vitetur, quod aegrotus facillime colligere periclitatur.

E. Sialagoga.—Praecipuum medicamentum, quod fub hac claffe continetur, eft mercurius. Hic vero, ob poteftatem ftimulantem, raro adhibetur, nifi fcillis, ut fupra pofitum fuit, adjunctus; vel cum morbus ab obftructionibus proficifcitur, quo in cafu, vi difcutiente, agit.

2. Hu-

[h] Vid. Treatife on Dropfy.

2. Humorem, per exitus arte factos, evacuando.

Hic autem, duabus rationibus, fonticulis, nempe, vel setaceis, in interstitia costarum inditis, vel paracentesi thoracis, per artem fuit sublatus.

Cum modus, quo hae operationes perficiantur, plane rei chirurgicae sit, non meum esse duco eum, hoc in lòco, describere. Igitur nihil aliud, quam de paracentesi solum notabo, eam saepe in usum feliciter fuisse revocatam, ut e scriptis auctorum celeberrimorum, qui ab HIPPOCRATE immortali ad CULLENUM venerandum usque floruerunt, manifeste apparet. Ille modum, quo perficiatur, accurate depingit. Quanquam curatio absoluta hoc remedio non comparetur, quod, cum incidit, aliqua ex parte forsitan, ei nimis diu dilato tribui potest; usus ejus tamen morbum magnopere levat, et vitam, in spatium temporis non modicum, producit.

III. Tonum

III. Tonum ſyſtemati reddere.

Hoc autem, reditum morbi praecavendi cauſa, efficere conamur. Huic conſilio optime accommodantur medicamenta tonica varia, diaeta nutriens, exercitatio et balneum frigidum.

1. Medicamenta tonica celeberrima ſunt, Amara, Acida et Chalybeata.

a. Amara.—Cum vis amarorum tonica ab omnibus medicis concedi videatur, et effectus eorum boni, ultra omnem dubitationem, ab experientia quotidiana confirmentur, hic omnino ſupervacuum foret, aut naturam eorum fuſe inveſtigare, aut modum, quo in corpus vivum agant, praeſertim cum hic tenebris ſpiſſioribus hactenus ſit involutus, accurate depingere conari. Ad hanc claſſem pertinent medicamenta diverſa, quae ſubſequuntur, quorumque effectus valentiſſimi eſſe cenſentur, anguſtura, nempe, gentiana, columba, flores chamo-

moeli, cortex aurantiorum et cortex Peruvianus. Cortex autem posterior vim insigniter tonicam habet, quod potestatem adstringentem, cum amaritudine conjunctam, naturaliter possidet. Omnia haec medicamenta, pro principio amarorum generali, agunt, et igitur non opus est, ut de iis separatim differamus.

b. Acida.—Haec, quantum ad dotes adstringentes spectat, densitatem vimque cohaesionis partium molliorum augendo agunt, et, ob hanc causam, vim in primis tonicam possidere reperiuntur. Eorum efficacissima sunt vitriolicum et vegetabile nativum.

c. Chalybeata.—Actio eorum perinde, ac acidorum, a dotibus adstringentibus pendet. Vix operae pretium est memorare, ferrum simplex, et ab acido disjunctum, esse substantiam, quatenus ad corpus humanum attinet, omnino inertem. Praeparatum vero unum e tonicis utilissimis, quae possidemus, constituit. Quae ex hac substantia conficiuntur,

ciuntur, ea ſunt multa et varia. Longius vero foret, immo parum neceſſarium, ea accurate recenſere; quoniam virtutes eaedem medicae omnibus inſunt. Quae praeparata, in praeſentia, in uſum practicum revocantur, ea ſunt ſal martis, tinctura martis, et limatura ferri praeparata.

2. Diaeta Nutriens.—Haec potiſſimum conſtet e cibo animali talibuſque ſubſtantiis, quales concoctu faciles ſunt, praeſertim e carne juniorum animalium, pane leviſſimo, ovis recens editis, &c. Pro potione adhibeatur vinum rubrum, vel Luſitanum, vel Burdegalenſe, vel Rhenanum, quod forſitan, ſi dotes ejus diureticas ſpectes, aquam vitae, baccis juniperi imbutam, dilutiorem, cereviſiam Londinenſem lupulatam, &c. adaequat.

Qui ex hiſce liquoribus, modo comprehenſis, non tantum ſitim reſtinguunt, ſed ſyſtema quoque corroborant, ii reliquis palmam manifeſte praeripiunt.

3. Exer-

3. Exercitatio.—GREGORIUS celeberrimus, de poteſtate exercitationis roborante diſſerens, verba ſequentia adhibet:

"Quod ad idoneam corporis exercitationem
" attinet, pro remedio roborante omni laude major
" eſt, cum ad tuendam ſanitatem, ſi haec natura
" bona eſt, cum ad reficiendas et renovandas vires,
" ſi hae vel morbo, vel pravo vitae genere, vel a-
" liis fortaſſe minus manifeſtis cauſis fractae, vel
" exhauſtae fuerint; tum quoque ad ſanandos
" plurimos morbos, qui a debilitate, vel generali,
" vel ſpeciali, ſuam originem ducunt, vel quorum
" ſaltem debilitas pars magna eſt [i]."

4. Balneum Frigidum.—Hoc non in uſum revocandum eſt, donec tonus organorum naturalis, aliqua ex parte, fuerit reſtitutus; namque morbus, ſub initium, ut CELSUS ait, "Balneum raro amat." Cum vero hoc, ad certum gradum uſque, praeſtiterimus,

[i] Vid. Gregor. Conſpect. Theoret. Medicin.

mus, balneum frigidum, rite adminiſtratum, remediis efficaciſſimis, quae curationis abſolvendae poſſunt adhiberi, jure optimo annumerandum.

F I N I S.